



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118022

§. 34. Ordo Vallis Scholasticorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66394)

Sæcul. XIII. pro Regina peroravit, ut cunctos audien-
A C. 1201. tes in admirationem raperet. Jamque
 Joannes Cardinalis S. Pauli, quia nullum
 suppetebat argumentum, quod divor-
 tium suaderet, sententiam contra Re-
 gem ad confirmandum matrimonium
 pronunciaturus erat; sed Rex ab amicis
 monitus, accepta Ingeburge, nemine sa-
 lutato, summo mane itinere se dedit, mis-
 sisque ad Episcopos nunciis, significari
 iussit, credere se eam uxorem suam esse,
 nec petere separari. Cardinales &
 Episcopi obstupescentes discedunt, sic-
 que solutum est Concilium. Ceterum
 Rex Ingeburgem, Arci Stampensi inclu-
 sam, vel ipsam inde exire, vel quoscun-
 que, nisi raro, ad eam invisere vetuit.
 Alimenta autem congrua suppeditabat.
 Papa afflictam tum per literas tum per
 transmissos Nuncios consolabatur, datis-
 que ad Regem frequentibus Epistolis
 hortabatur, ut Regiam Principem cultu,
 quo digna erat, prosequeretur.

§. XXXIV.

Ordo Vallis Scholasticorum.

Labbe bibl. Lutetia Parisiorum quatuor celebres
to. 1. p. 391. Theologiae Professores degebant,
 Guilielmus, Richardus, Eberhardus, &
 Manasses, viri non minus virtutibus
 quam doctrina clari. Quadam die, cum de

de præmiis & pœnis æternis colloque- Sæcul. XIII.
rentur, Guilielmus ait: *Propbetiam E. A.C. 1201.*
zechielis studiose legenti ter objecta est Alberic.
mibi arbor procera, pulcherrima & ni-
tidissima, cujus rami orbem terrarum
ornare videbantur. Mox ceteris tribus
sociis respondentibus, sibi quoque simi-
lis arboris speciem fuisse aliquoties obla-
tam, postquam de hac re cum aliis Do-
ctoribus deliberassent, vocari se ad in-
stituendum novum virorum Religioso-
rum Ordinem crediderunt. Ergo, cum
omnia relinquere, & in solitudine, quam
fors obtulisset, delitescere statuissent,
iter arripiunt anno millesimo ducentesi-
mo primo, & in finibus Campaniæ Bur-
gundiæque ad vallem profundam ac in-
cultam, præaltis rupibus clausam perve-
niunt, ibique aquæ fontem, quem nemo
hactenus notaverat, conspiciunt.

Tum Guilielmum *de Joinville*, illa
tempestate Episcopum Lingonensem, &
postea Archiepiscopum Remensem, ad-
euntes rogant, ut ipsis partem illius Val-
lis, quia ad ditionem ipsius Ecclesiæ per-
tinebat, eleemosynæ loco concederet.
Qua licentia ab Episcopo impetrata, te-
nues Cellulas construxerunt, & Regulam
S. Augustini ad morem Monasterii S. Vi-
ctoris Parisiis servare cœperunt. Annis *Alberic. an.*
exinde quatuordecim Fridericus, Juris ^{1215.}
Canonici Doctor, & Archidiaconus *de*
Chalons

Sæcul. XIII.

A. C. 1201.

Chalons, ejusdem urbis Episcopus electus, rejecta Dignitate, quatuor his Doctoribus socium se adjunxit. Eodem anno millesimo ducentesimo decimo quinto mense Septembri, Episcopus Lingonensis novum Institutum confirmavit, obtinuitque, ut idem post triennium Honorius Papa ratum haberet. Primis quinque Doctoribus, antequam ultimum diem oppeterent, triginta septem Scholasticos hanc Regulam amplexos videndum datum est. Hæc fuit origo Congregationis Canonorum Regularium, quæ *de Valle Scholasticorum* dicta est.

§. XXXV.

Evraudus Hæreticus Niverni.

zo. II. Cont.

p. 24. ex

Chron. Rob.

Antiss.

Anno a partu Virginis millesimo ducentesimo primo Octavianus Legatus Concilium Parisiis celebravit, in causa viri Equestris, nomine Evraudi, quem Comes Nivernensis terræ suæ præfecerat. Erat vero in rebus Sæculi versutus admodum, & oppresso populo omnibus in-
visus. Is igitur apud Legatum arguitur Hæresis Bulgarorum, ita enim Manichæi appellabantur, unde injuria nostræ lingue orta est tam infamis, ut nulla magis (*). Legatus Evraudo diem præstituit,

(*) Quid hic Fleurius dicere velit non satis liquet.